GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, um 1200 Seite 65v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quia digitis queque discernimus. non incon
grue per digitum discretio designatur.
Unde et per psalmistam dicitur. Benedictus
dominus deus meus qui docet manus meas
ad prelium. et digitos meos ad bellum.
Per manus videlicet operationem. per di
gitos vero discretionem signans. Digitus
ergo ori supponitur. cum per discretionem lin
gua refrenatur. ne per hoc quod loquitur insul
ticie culpam dilatabatur. Dicit ergo. Suppon
ite digitum ori vestro. id est locutioni ve
stre virtutem discretionis adhibete.
ut per hec que recte contra hypochritam
dicitis. quibus sint dicenda videatis.
SEQUITUR. Et ego quando recordatus
fuero pertimesco. et concutit carnem
meam tremor. Quia beatus iob actuum
suorum oblitus non fuerat. extrema eius
locutio ostendit. Qua ex re hoc quod ab
eo nunc amicis dicitur. et ego quando recor
datus fuero pertimesco. et concutit carnem
meam tremor. constat nimirum quod ex
irrisione dicatur. Ac si aperte diceretur. Si
me aliquid hypochrite habuisse memine
ro. in penitentie mox fletu contremis
co. Carnem vero suam si recordatus fuerit
tremore perhibet concuti. id est infirmita
tem operis ultionis pavore fatigari. Sed
quia multa sophar de subita dampna
tione impii in quibus beati iob potentiam
momordit asseruit. sanctus vir contra
dicta eius subiungit dicens. Quare
ergo impii vivunt. sublevati sunt. confor
tatique divitiis. Nisi enim eos patien
tia divina toleraret. nequaquam diu vi
tam in peccatis ducerent. Sublevantur
namque divitiis. cum esse potentes inci
piunt. confortantur vero cum diu in hac vi
ta subsistere permittuntur. Quos enim sub
stantia elevat infastu sue potentie. di
erum longitudo confortat. Vel certe
sublevati et confortati referuntur. quia
sublevantur honoribus. confortantur rebus.
Sed sunt plerique qui et honoribus suble
vati et divitiis confortati ea que in
hac vita concupiscunt accipiunt. suc
cessione autem sobolis privantur. Quibus namque
sua potentia pena est. cum et magnam
habere se hereditatem considerant. et
heredes non habent quibus relinquant.
Quid itaque prodest si assunt omnia. et de
sunt filii qui successores fiant. SEQUITUR.
Semen eorum permanet coram eis. In aug
mentum magne felicitatis cum mag
no patrimonio dantur et heredes. ac ne
qua necessitas corporis saltem ab oculis
subtrahat eos in quibus animus exultat.
de hoc eorum semine dicitur. permanet coram
eis. Quid autem si filii dati sunt. sed ipsi steri
litate feriuntur. Sic in eis genus extingui
tur. sicut parentum sterilitate extin
gui timebatur. SEQUITUR. Propinquorum
turba et nepotum eius in conspectu eius.
Ecce adest vita. assunt honores. et divi
tie. assunt filii. assunt nepotes. Quid si
quam mentem intestina cogitatio exu
rit. et securitatis gaudia domestica ri
xa transverberat. Que est huius mundi